

Kirchliches Verordnungs-Blatt

für die

Lavanter Diöcese.

Inhalt. 63. Epistola Leonis P. P. XIII. de Rosario Mariali. — 64. Apostolisches Breve, betreffend die Gewinnung von Ablässen durch diejenigen Gläubigen, welche alle 14 Tage beichten. — 65. Instructio S. Congregationis super negotiis Episcoporum et Regularium circa Conventus Episcoporum in Ditionibus Imperii Austriaci. — 66. Litterae S. Rituum Congregationis de usu linguae Slavicae in sacra Liturgia. — 67. Confessio pro die festo Sacr. Rosarii. — 68. Decretum S. C. Concilii de Clericorum Excardinatione et Ordinatione. — 69. De litanis S. Rituum Congregationis nova decisio. — 70. Razpis nagradske iz dr. F. Žager-jeve ustanove za bogoslovce, kateri se posebno pečajo s krščanskim modroslovjem. — 71. Literatur.

63.

Epistola Leonis PP. XIII. de Rosario Mariali.

VENERABILIBVS FRATRIBVS
PATRIARCHIS PRIMATIBVS ARCHIEPISCOPIS EPISCOPIS
ALIIISQVE LOCORVM ORDINARIIS
PACEM ET COMMVNIONEM CVM APOSTOLICA SEDE
HABENTIBVS

LEO P. P. XIII.

VENERABILES FRATRES

SALVTEM ET APOSTOLICAM BENEDICTIONEM.

Diuini temporis spatium animo respicientes, quod in Pontificatu maximo, Deo sic volente, transegimus, facere non possumus quin fateamur Nos, licet meritis impares, divinae Providentiae praesidium expertos fuisse praesentissimum. Id vero praecipue tribuendum censemus coniunctis precibus, adeoque validissimis, quae, ut olim pro Petro, ita nunc pro Nobis non intermisere funduntur ab Ecclesia universa. Primum igitur bonorum omnium largitori Deo grates habemus maximas, acceptaque ab eo singula, quamdiu vita suppeditet, mente animoque tuebimur. Deinde subit materni patrocini augustae caeli Reginae dulcis recordatio: eamque pariter memoriam gratiis agendis celebrandisque beneficiis pie inviolateque servabimus. Ab ipsa enim, tamquam uberrimo ductu, caelestium gratiarum haustus derivantur: eius *in manibus sunt thesauri miserationum Domini*¹: *Vult illam Deus bonorum omnium esse principium*². In huius tenerae Matris amore, quem fovere assidue atque in dies augere studuimus, certo speramus obire posse ultimum diem. — Iamdudum autem cupientes, societatis humanae salutem in aucto Virginis cultu, tamquam praevalida in arce collocare, nunquam destitimus *Marialis Rosarii* consuetudinem inter Christi fideles promovere, datis in eam rem Encyclicis Litteris

iam inde a kalendis Septembribus anni MDCCCLXXXIII, editisque decretis, ut probe nostis, haud semel. Cumque Dei miserantis consilio liceat Nobis huius quoque anni adventantem cernere mensem Octobrem, quem caelesti Reginae a Rosario sacrum dicatumque esse alias decrevimus, nolumus a compellendis vobis abstinere; omniaque paucis complexi quae ad eius precationis genus provehendum huc usque gessimus, rei fastigium imponemus novissimo documento, quo et studium Nostrum ac voluntas in laudatam cultus Mariani formam pateat luculentius, et fidelium excitetur ardor sanctissimae illius consuetudinis pie integreque servandae.

Constanti igitur acti desiderio ut apud christianum populum de Rosarii Marialis vi ac dignitate constaret, memoratâ primum caelesti potius quam humana eius precationis origine, ostendimus, admirabile sertum ex angelico praeconio consertum, interiectâ oratione dominica, cum meditationis officio coniunctum, supplicandi genus praestantissimum esse et ad immortalis praesertim vitae adeptionem maxime frugiferum; quippe praeter ipsam excellentiam precum exhibeat et idoneum fidei praesidium et insigne specimen virtutis per mysteria ad contemplandum proposita; rem esse praeterea usu facilem et populi ingenio accommodatam, cui ex commentatione Nazarethanae Familiae offeratur domesticae societatis omnino perfecta species; eius idcirco virtutem christianum populum nunquam non expertum fuisse saluberrimam.

His praecipue rationibus atque adhortatione multiplici sacratissimi Rosarii formulam persequuti, augendae insuper eius maiestati per ampliorem cultum, Decessorum Nostrorum vestigiis inhaerentes, animum adiecimus. Etenim quemadmodum Xystus V fel. rec. antiquam recitandi Rosarii consuetudinem approbavit, et Gregorius XIII festum dedicavit eidem titulo diem, quem deinde Clemens VIII

¹ S. Io. Dam. ser. I. de nativ. Virg.

² S. Ir., c. Valen. I. III, c. 33.

inscripsit martyrologio, Clemens XI iussit ab universa Ecclesia retineri, Benedictus XIII Breviario romano inseruit, ita Nos in perenne testimonium propensae Nostrae voluntatis erga hoc pietatis genus, eandem solemnitatem cum suo officio in universa Ecclesia celebrari mandavimus ritu duplici secundae classis; solidum Octobrem huic religioni sacrum esse volumus; denique praecepimus ut in Litanis Lauretanis adderetur invocatio: *Regina sacratissimi Rosarii*, quasi augurium victoriae ex praesenti dimicatione referendae.

Illud reliquum erat ut moneremus, plurimum pretii atque utilitatis accedere Rosario Mariali ex privilegiorum ac iurium copia, quibus ornatur, in primisque ex thesauro, quo fruitur, indulgentiarum amplissimo. Quo quidem beneficio ditescere quanti omnium intersit qui de sua sint salute solliciti, facili negotio intelligi potest. Agitur enim de remissione consequenda, sive ex toto sive ex parte, temporalis poenae, etiam amotâ culpâ, luendae aut in praesenti vita aut in altera. Dives nimirum thesaurus, Christi, Deiparae ac Sanctorum meritis comparatus, cui iure Clemens VI Decessor Noster aptabat verba illa Sapientiae: *Infinitus thesaurus est hominibus: quo qui usi sunt, participes facti sunt amicitiae Dei*¹. Iam Romani

¹ VII, 14.

Pontifices, suprema, qua divinitus pollent, usi potestate, Sodalibus Marianis a sacratissimo Rosario atque hoc pie recitantibus huiusmodi gratiarum fontes recluserunt uberimos.

Itaque Nos etiam, rati his beneficiis atque indulgentiis Marialem coronam pulchrius collucere, quasi gemmis distinctam nobilissimis, consilium, diu mente versatum, maturavimus edendae *Constitutionis* de iuribus, privilegiis, indulgentiis, quibus Sodalitates a sacratissimo Rosario perfruantur. Haec autem Nostra *Constitutio* testimonium amoris esto, erga augustissimam Dei Matrem, et Christi fidelibus universis incitamenta simul et praemia pietatis exhibeat, ut hora vitae suprema possint ipsius ope relevari in eiusque gremio suavissime conquiescere.

Haec ex animo Deum Optimum Maximum, per sacratissimi Rosarii Reginam, adprecati; caelestium bonorum auspiciam et pignus vobis, Venerabiles Fratres, clero ac populo uniuscuiusque vestrum curae concredito, Apostolicam benedictionem peramanter impertimus.

Datum Romae apud S. Petrum die V Septembris MDCCCXCVIII, Pontificatus Nostri anno vicesimo primo.

LEO PP. XIII.

64.

Apostolisches Breve, betreffend die Gewinnung von Ablässen durch diejenigen Gläubigen, welche alle 14 Tage beichten.

Das fürstbischöfliche Ordinariat hat unterm 17. August d. J. an Se. Heiligkeit nachstehendes Ansuchen gerichtet:

Beatissime Pater!

Michael Episcopus diocesis Lavantinae in Austria, ad pedes Sanctitatis Vestrae provolutus, ob inopiam confessoriorum humiliter petit, ut fideles Lavantini, qui infra duas uniuscuiusque mensis hebdomadas sacram Confessionem peragere solent, omnes et singulas indulgentias, ab Ecclesia concessas vel concedendas lucrari possint in intervallo isto temporis occurrentes.

Marburgi in Austria 17. mensis Augusti 1898.

Sanctitatis Vestrae humillimus et obsequentissimus servus

† Michael,
Episcopus.

Hierüber erhielt das F. B. Ordinariat folgendes Breve:

LEO PP. XIII.

VENERABILIS FRATER SALUTEM ET APOSTOLICAM
BENEDICTIONEM.

Exponendum Nobis curavisti admodum te quo spirituali fidelium bono, quorum cura tibi est demandata, uberius

ac opportunius consultum sit, habere in votis, ut qui fidelium tuae huius diocesis Lavantinae sacramentalem confessionem saltem bis in mense pie obire soleant, omnes et singulas indulgentias, quae per id temporis intercitant, absque actuali sacramentali confessione, servatis tamen caeteris, lucrari possint. Quamobrem Nos enixe rogavisti ut in praemissis opportune providere ac ut infra indulgere de benignitate apostolica dignaremur. Nos itaque aeternae fidelium saluti pro Nostro officio intenti, inspecta praesertim confessoriorum, quam praefers, penuria, omnibus et singulis Christifidelibus tuae huius Dioecesis Lavantinae tenore praesentium *ad biennium* tantum Auctoritate Nostra Apostolica indulgemus, ut qui singulis hebdomadis vel saltem altera quaque hebdomada sacramentalem confessionem peragere soleant, omnes et singulas eo temporis intervallo concessas indulgentias tam locales quam personales pro quibus acquirendis sacramentalis confessio tamquam iniuncta conditio requiritur, exceptis tamen indulgentiis in forma Iubilaei absque actuali sacramentali confessione lucrari libere ac licite possint, et valeant, dummodo caetera, quae ad eas consequendas praescripta

sunt, rite praestiterint. In contrarium facientibus non obstantibus quibuscumque.

Datum Romae apud S. Petrum sub annulo Piscatoris die 11. Septembris MDCCCXCVIII. Pontificatus Nostri Anno Vigesimo primo.

Pro Domino **Card. Macchi**

Nicolaus Marini,
Sub.

Auf Grund dieses Breve können die Gläubigen der Lavanter Diöcese, welche einmal innerhalb zweier Wochen (das heißt jedesmal nach Ablauf von vierzehn Tagen) beichten, falls sie nur keiner neuen schweren Sünde sich schuldig gemacht haben, alle in diese vierzehn Tage fallenden Ablässe ohne neue Beichte gewinnen, wenn auch die Beichte für diese Ablässe als Bedingung vorgeschrieben wäre.

Hievon wollen die hochwürdigen Herren Seelsorger die Gläubigen in entsprechender Weise verständigen.

65.

Instructio

S. Congregationis Negotiis et Consultationibus Episcoporum et Regularium Praepositae circa Conventus Sacrorum Antistitum in Ditionibus Austriaci Imperii.

Quo constet firmissimum, atque efficacius vigeat episcoporum congressionum ratio, in Cisleithanis regionibus iam inducta et Pontificiis praescripta Litteris die III. martii anno MDCCCXCI datis ad omnes Imperii Austriaci Antistites, Sanctissimus Dominus Noster Leo divina Providentia Papa XIII, pro apostolica Sua sollicitudine et caritate, quae super hac re adhuc invaluerunt confirmare ac probare dignatus est, aliaque iis adiacere constituit, atque ab hac Sacra Congregatione Episcoporum et Regularium consultationibus praeposita universis Austriae ceterioris locorum Ordinariis significari decrevit; prout sequitur:

I. Quinto quoque anno, crebrius etiam pro re nata vel necessitate, Austriaci Imperii omnes et singuli Archiepiscopi et Episcopi Vindobonae conveniant, de communibus ecclesiarum suarum commodis aut negotiis, deque gerendis cum potestate civili rebus coniunctim acturi.

II. Septeni praesules, plenarii coetus suffragiis in Consilium Permanens adlecti, bis quolibet anno, Vindobonae pariter congregiantur, res ad deliberationem plenarii consessus comparandas, eiusque exequenda mandata curaturi.

Sessionum acta, sive generalis conventus, sive ipsius perpetui consilii, cum episcopis scripto communicent.

III. Curent insuper uniuscuiusque provinciae ecclesiasticae vel civilis ditionis Archiepiscopi et Episcopi omnes, singulis annis, provinciatim seu regionatim coire, ut de impeditioribus ecclesiarum suarum negotiis concorditer agant.

Ad huiusmodi porro coetus annuos per provincias regionesve celebrandos, occasionem idoneam, aptam sedem, coadunandorum praesulum ordines, ipsa definit politicarum per ditiones singulas congressionum ratio, quibus episcopi, stata lege, quotannis intersunt.

IV. Episcoporum conventus, sive plenarios, sive peculiare, convocet ac moderetur, qui, inter congressuros,

gradu et antiquitate in ecclesiastica hierarchia caeteris praeest; eique parere cuncti teneantur in iis quae coetum spectant.

Secretarii vero munere ille fungatur quem episcopi suffragio suo designaverint.

V. Res ad deliberandum hae maxime congressuris proponantur: — christiana populi eruditio atque institutio iuventutis; — fidelium gregis suis pastoribus coniunctio arctior et adhaesio; — Seminariorum cultus et incrementa; — catholicae studiorum universitatis erectio; — catechismus ab episcopis nove conficiendus et coniunctim edendus (Breve Pii PP. IX, 5 octob. 1855); — ecclesiae iurium et bonorum tutio; Summi Pontificis strenua auctoritatis et libertatis vindicatio; — ephemeridum, aliarumque vulgarum curatio scriptionum; — matrimonii christiani religio et sanctitudo — monialium et cleri utriusque disciplina provehenda; — laicorum sodalitia ad pietatem et caritatem fovendam utiliora; — inviolata festorum custodia; romanae liturgiae urgenda aequalitas; — lustrationis dioecesanarum, synodorumque, iuxta Tridentinas leges instauratio; — christianae vitae in omnes civium ordines nova aut potior infusio; — conditionis opificum, agrorum, emigrantium sollicitudo; — socialis, quam nominant, et popularis causae studium; — militum cultura religiosa; — petriana stipes, sacris item missionibus, servitudinis extinctioni, conferenda subsidia; — communia scripta vel acta, ad utilitates rei cum sacrae tum civilis, unanimi pastorum consilio edenda; — alia demum id generis negotia, quibus rite expediendis, non modo proficuum, verum etiam necessariam esse agendi et sentiendi concordiam omnino compertum est omnibus.

VI. Propositiones et sententiae conventuum, saltem graviores, per eorum praesidem, accurate doceatur Apostolica Sedes, quae episcoporum coetus, sive per se, sive per suum penes Caesarem Aulam legatum, consilio et opera iuvare intendit.

Persuasum profecto est Sanctitati Suae, universos ditionis austriacae Ordinarios hisce statutis et votis, summa voluntate et alacritate, esse obsecuturos; quo sane pacto et ipsi optime de religione ac civitate merebuntur, et eorum congressiones illos edent lactabiles fructus quos in aliis regionibus, Deo iuvante, feliciter in dies ferunt.

Datum Romae ex Secretaria S. Congregationis Episcoporum et Regularium die 22. iulii 1898.

S. Cardinalis Vannutelli, Praefectus.

A. Trombetta, Secretarius.

66.

Sacrae Rituum Congregationis

ad Archiepiscopos Episcopos et Ordinarios provinciarum Goritien., Jadren. et Zagrabien.

LITTERAE

de usu linguae Slavicae in sacra Liturgia.

Quae praecipue observanda sunt, vel cavenda, circa usum palaeoslavici idiomatis in sacra liturgia, Sacra haec Congregatio iam edixit die 13 Februarii 1892; atque iis opportune significavit Slavorum Meridionalium Episcopis, qui ecclesiis praesunt ubi eiusmodi praxis invaluit. Quum vero, hac super re, Apostolicae Sedi nova proposita sint dubia, Sanctissimus D. N. Leo Div. Prov. Papa XIII, pro Sua erga Slavos paterna sollicitudine, ad praedictas normas enucleandas et firmandas, omnemque removendam perplexitatem, grave hoc negotium peculiaris coetus S. R. E. Cardinalium examini submitti iussit.

Re igitur in omnibus mature perpensa, attentisque Summorum Pontificum Constitutionibus et Decretis, praesertim Innocentii IV, qui Episcopis Senien., anno 1248, et Veglen., anno 1252 slavica utendi lingua concessit *licentiam in illis dumtaxat partibus ubi de consuetudine observantur praemissa, dummodo ex ipsius varietate litterae sententia non laedatur*; item Urbani VIII cuius iussu anno 1631 libri liturgici glagolitice editi sunt, *ad usum ecclesiarum ubi hactenus praefato idiomate celebratum fuit, nisi maluerint latino*; nec non Benedicti XIV, qui novam ipsorum librorum editionem, anno 1754 authenticam declaravit, pro iis, *qui ritum slavolatinum profitentur*; ac demum Pii VI, qui anno 1791 Breviarium eius auspiciis denuo impressum recognovit, iidem Eminentissimi Patres eas quae sequuntur regulas statuerunt, illasque Sanctitas Sua ratas habuit, adprobavit et in posterum ab omnibus in violate servari mandavit:

I. Usus palaeoslavicae linguae in sacra liturgia considerari et haberi debet velut *reale* privilegium certis inherens ecclesiis, minime vero ad instar privilegii *personalis*, quod nonnullis sacerdotibus competat.

Episcoporum igitur officii munus erit, in unaquaque dioecesi quam primum conficere indicem seu catalogum ecclesiarum omnium et singularum, quas certo constet, in praesens ea concessione rite potiri.

Ad dubia porro amovenda, asserti privilegii probatio desumatur ex documentis ac testimoniis quae in tuto ponant et probe demonstrent illud invaluisse et reapse vigere triginta saltem abhinc annis; quod temporis spatium in re praesenti tamquam sufficiens habetur ex indulgentia speciali Sanctae Sedis.

Si quae deinceps controversiae aut difficultates in eiusmodi probationum negotio oriantur, illas Episcopi Sacrae Rituum Congregationi subiiciant, rerum adiuncta explicate et distincte exponendo pro singulorum casuum solutione.

II. Praedicto ecclesiarum privilegiatarum indice semel confecto et publicato, nulli prorsus licebit in aliis ecclesiis, quacumque ratione vel quovis praetextu, linguam palaeoslavica in sacram liturgiam inducere: si quid vero secus aut contra contigerit attentari, istiusmodi ausus severa coercionem reprimantur.

III. In ecclesiis quae supra memorato gaudent privilegio, Sacrum facere et Officium persolvere publica et solemnitate, permissum exclusive erit palaeoslavico idiomate, quacumque seclusa alterius linguae immixtione. Libri ad Sacra et ad Officium adhibendi characteribus glagoliticis sint excusi atque ab Apostolica Sede recogniti et adprobati: alii quicumque libri liturgici, vel alio impressi characterem, vel absque approbatione Sanctae Sedis, vetiti omnino sint et interdicti.

IV. Ubicumque populus sacerdoti celebranti respondere solet, aut nonnullas Missae partes canere, id etiam nonnisi lingua palaeoslavica, in ecclesiis privilegiatis fieri licebit. Idque ut facilius evadat, poterit Ordinarius fidelibus exclusive permittere usum manualis libri latinis characteribus, loco glagoliticorum exarati.

V. In praefatis ecclesiis quae concessione linguae palaeoslavicae indubitanter fruuntur, Rituale slavico idiomate impressum adhiberi poterit in sacramentorum et sa-

eramentarium administratione, dummodo illud fuerit ab Apostolica Sede recognitum et probatum.

VI. Sedulo curent Episcopi in suis Seminariis studium provehere cum latinae linguae, tum palaeoslavicae, ita ut cuique dioecesi necessarii sacerdotes praesto sint ad ministerium in utroque idiomate.

VII. Episcoporum officium erit, ante Ordinationem sacram, designare clericos qui latinis vel qui palaeoslavice ecclesiis destinentur, explorata in antecessum promovendorum voluntate et dispositione, nisi aliud exigat ecclesiae necessitas.

VIII. Si qui sacerdos, addictus ecclesiae ubi latina adhibetur lingua, alteri debeat ecclesiae inservire quae palaeoslavici fruitur idiomatis privilegio, Missam solemnem ibi celebrare, Horasque canere tenebitur lingua palaeoslavica; attamen illi fas erit privatim Sacra peragere et Horas canonicas persolvere latina lingua.

Idem vicissim dicatur de sacerdote, palaeoslavici idiomatis ecclesiae adscripto, cui forte latinae ecclesiae deservire contigerit.

IX. Licebit pariter sacerdotibus latini eloquii ecclesiae inscriptis, in aliena ecclesia quae privilegio linguae palaeoslavicae potitur, Missam privatam celebrare latino idiomate.

Vicissim sacerdotes, linguae palaeoslavicae ecclesiis addicti, eodem idiomate Sacrum privatim facere poterunt in ecclesiis ubi latina lingua adhibetur.

X. Ubi usus invaluit, in Missa solemni Epistolam et Evangelium slavice canendi, post eorundem cantum latino ecclesiae ipsius idiomate absolutum, huiusmodi praxis servari poterit, dummodo adhibeatur lingua palaeoslavica. In Missis autem parochialibus fas erit, post Evangelium

recitationem, illud perlegere vulgari idiomate, ad pastorem fidelium instructionem.

XI. Si forte, in paroeciis quae linguam habent palaeoslavica, aliquis e fidelibus prolem renuat sacro sistere fonti nisi Rituali latino baptismus conferatur; vel si qui matrimonium recusent celebrare nisi latina lingua sacer absolvatur ritus, Parochus opportune illos instruat, moneatque; et si adhuc in propria sententia persistent, baptismum, aut benedictionem nuptialem privatim latina lingua ministret.

Vicissim agatur, in paroecia latinae linguae, si quis slavico idiomate ritus praedictos omnino peragi similiter exigat.

XII. In praedicatione verbi Dei, aliisve cultus actionibus quae stricte liturgicae non sunt, lingua slavica vulgaris adhiberi permittitur ad fidelium commodum et utilitatem, servatis tamen generalibus Decretis huius S. Rituum Congregationis.

XIII. Episcopi illarum regionum ubi eadem in usu est lingua vernacula, studeant uniformi curandae versioni precum et hymnorum quibus populus indulget in propria ecclesia, ad hoc ut qui ex una ad aliam transeunt dioecesim vel paroeciam in nullam offendant preactionum aut canticorum diversitatem.

XIV. Pii libri in quibus continetur versio vulgata liturgicarum precum ad usum tantummodo privatum christifidelium, ab Episcopis rite recogniti sint et approbati.

Datum Romae, ex Secretaria SS. Rituum Congregationis, die 5 Augusti anno MDCCCXCVIII.

C. Card. Mazzella S. R. C. Praefectus.

D. Panici S. R. C. Secretarius.

67.

Confessio

facienda ad lucrandas indulgentias pro die festo B. M. V. sub tit. Sacr. Rosarii potest anticipari feria sexta praecedente.

S. Cong. Indulg. 25. Martii 1897. —

Beatissime Pater. Pater Provincialis Ordinis Praedicatorum Provinciae Germanicae ad pedes Sanctitatis Vestrae provolutus humiliter postulat privilegium, quod Confessio, ad lucrandas Indulgentias Plenarias pro Festo Sacratissimi Rosarii (Dominica 1a octobris) possit fieri iam tres dies ante Festum, id est feria quinta, propter paucitatem Confessariorum.

Sanctissimus dominus Noster Leo Papa XIII in audientia habita ab infrascripto Cardinali Praefecto Sacrae Congregationis Indulgentiarum Sacrisque Reliquiis praeposita, die 25 martii 1897, attenta Confessariorum inopia, benigne

indulsit, ut Confessio, quae ad lucrandam Plenariam Indulgentiam concessam pro die festo B. Mariae Virginis sub titulo Sacratissimi Rosarii foret peragenda Dominica prima octobris, anticipari quoque valeat feria sexta eandem Dominicam immediate praecedente, caeteris servatis de iure servandis. Praesenti in perpetuum valituro absque ulla Brevis expeditione. Contrariis quibuscunque non obstantibus.

Datum Romae ex Secretaria eiusdem Sacrae Congregationis die 25. martii 1897.

Fr. Hieronymus Maria Card. Gotti, Praef.

L. + S.

† Archiepisc. Nicopolit. Secret.

Decretum S. C. Concilii

De Clericorum Excardinatione et Ordinatione.

A primis Ecclesiae saeculis plura Sacra Concilia decreverunt, quod recentius confirmavit Tridentinum *cap. 8, sess. 22 de reform.*, neminem nisi a proprio Episcopo posse ordinari.

Proprius autem alicuius Episcopus, iuxta ea quae praefinivit in primis Bonifacius VIII in Sexto Decret. *cap. Cum nullus, De tempore Ordin.* „intelligitur in hoc casu Episcopus de cuius dioecesi est is, qui ad ordines promoveri desiderat, oriundus, seu in cuius dioecesi beneficium obtinet ecclesiasticum, seu habet (licet alibi natus fuerit) domicilium in eadem.“ Deinde cum consuetudo invaluerit, ut Episcopi familiares suos, etsi alienae dioecesis, sacris initiarent, et sancta Tridentina synodus *cap. 9, sess. 23 de reform.* id certis sub conditionibus probaverit, obtinuit, ut tribus prioribus titulis, originis, domicilii et beneficii, quibus ius fiebat Episcopis aliquem ad ordines promovendi, quartus quoque accenseretur, scilicet familiaritatis. Cum autem de huiusmodi titulis disceptaretur, Innocentius XII app. litt. incipientibus „*Speculatores*“ datis die 4. nov. 1694, determinavit ac constituit quo sensu et extensione iidem essent accipiendi ad eum effectum, ut quis proprius fieret alicuius Episcopi subditus, quo legitime ordinari valeret. Quae constitutio ut suprema lex deinde habita est, eaque duce omnes quaestiones diremptae.

Verum nostris temporibus novae contentioni frequens se praebuit occasio. Pluribus enim in locis usu receptum est ut clerici, qui e sua dioecesi digredi et in alia sibi sedem constituere desiderarent, excardinationem, quam vocant, id est plenam et perpetuam dimissionem a suo Ordinario peterent; eaque innixi in alia dioecesi incardinationem seu adscriptionem implorarent: qua obtenta, eo ipso ut proprii novi Episcopi subditi ad ultteriores ordines suscipiendos admitterentur. Quae agendi ratio, ubi caute prudenterque adhibita fuit, absque querelis processit, sed nonnullis in locis, ubi necessaria cautio defuit, controversiis et abusibus viam saepenumero patefecit.

Quapropter Eminentissimi S. C. Concilii Patres, rebus omnibus mature perpensis, praesenti generali decreto haec statuenda censuerunt:

1^o excardinationem fieri non licere nisi iustis de causis, nec effectum undequaue sortiri, nisi incardinatione in alia dioecesi executioni demandata.

2^o incardinationem faciendam esse ab Episcopo non oretenus, sed in scriptis, absolute et in perpetuum, id est

nullis sive expressis sive tacitis limitationibus obnoxiam; ita ut clericus novae dioecesi prorsus mancipetur, praestito ad hoc iuramento ad instar illius quod Constitutio „*Speculatores*“ pro domicilio acquirendo praescribit.

3^o ad hanc incardinationem deveniri non posse, nisi prius ex legitimo documento constiterit alienum clericum a sua dioecesi fuisse in perpetuum dimissum, et obtenta insuper fuerint ab Episcopo dimittente, sub secreto, si opus sit, de eius natalibus, vita, moribus ac studiis opportuna testimonia.

4^o hac ratione adscriptos posse quidem ad ordines promoveri. Cum tamen nemini sint cito manus imponendae, officii sui noverint esse Episcopi, in singulis casibus perpendere, an, omnibus attentis, clericus adscriptus talis sit, qui tuto possit absque ulteriori experimento ordinari, an potius oporteat eum diutius probari. Et meminerint quod sicut „nullus debet ordinari qui iudicio sui Episcopi non sit utilis aut necessarius suis Ecclesiis“ ut in *cap. 16, sess. 23 de reform.* Tridentinum statuit; ita pariter nullum esse adscribendum novum clericum, nisi pro necessitate aut commoditate dioecesis.

5^o quo vero ad clericos diversae linguae et nationis, oportere ut Episcopi in iis admittendis cautius et severius procedant, ac numquam eos recipiant, nisi requisiverint prius a respectivo eorum Ordinario, et obtinuerint, secretam ac favorabilem de ipsorum vita et moribus informationem, onerata super hoc graviter Episcoporum conscientia.

6^o denique quoad laicos, aut etiam quoad clericos, qui excardinationis beneficio uti nequeunt vel nolunt, standum esse dispositionibus const. „*Speculatores*“ quae, nihil obstante praesenti decreto, ratae ac firmae semper manere debent.

Facta autem de his omnibus relatione Sanctissimo Domino Nostro per infrascriptum Cardinalem S. C. Concilii Praefectum, Sanctitas Sua resolutionem Em. Patrum benigne approbare et confirmare dignata est, contrariis quibuscumque minime obstantibus.

Datum Romae ex aedibus S. C. Concilii die 20 Iulii 1898.

A. Card. Di Pietro

S. C. Concilii Praefectus.

† Beniaminus Arch. Nazianzenus.

Pro-Secretarius.

De litaniiis S. Rituum Congregationis nova decisio.

DUBIUM.

Praeter tres Litanias pro usu publico in universali Ecclesia approbatas h. e. Litanias Sanctorum, Litanias B. M. V., et Litanias Sanctissimi Nominis Iesu, peculiare quaedam Litaniae habentur ex. gr. de Sacratissimo Iesu Corde, Purissimo Corde B. M. V., aliaeque ab uno vel altero Reverendissimo Ordinario pro usu tantum privato approbatae, quae idcirco neque in Breviario neque in Rituali Romano continentur.

Quaeritur 1.^o num eiusmodi peculiare Litaniae ita strictim prohibeantur, ut Monialibus sive religiosis Institutis non liceat illas privatim canere vel recitare ad instar precum oralium?

2.^o Et quatenus negative, num iisdem religiosis Familiis illas liceat canere vel recitare communiter in Choro, aut respectivo Oratorio?

3.^o Item quaeritur num peculiare eiusmodi Litanias liceat Fidelibus in publica Ecclesia sive privatim sive

communiter cantare, vel recitare ad modum quarumcumque precum?

Et Sacra Rituum Congregatio, ad relationem infra-scripti Secretarii, omnibus in casu perpensis, ita rescribendum censuit, videlicet:

Ad I. Negative, h. e. ita strictim non sunt prohibita, ut singulis privatim eas non liceat cantare, vel recitare.

Ad II. Affirmative, h. e., ita strictim prohibentur, ut communiter in Choro publico, vel publico Oratorio illas Litanias cantare vel recitare minime liceat.

Ad III. Ad I. partem h. e., privatim, Affirmative: ad II. partem. h. e. communiter, Negative.

Atque ita rescripsit, et servari mandavit. Die 11. Februarii 1898.

C. C. Mazzella, Ep. Praenestinus S. R. C. Praef.

D. Panici, Secretarius.

Razpis nagrade iz dr. Fr. Žager-jeve ustanove za bogoslovce, kateri se posebno pečajo s krščanskim modroslovjem.

Rajni gospod dr. Francišek Žager, profesor veronauka na c. kr. gimnaziji v Mariboru, je sporočil glavnicu 400 gld. av. v. z naročilom, da se obrestni te glavnice vsako tretje leto dajo kot darilo onim gojencem kn.-šk. lavantinskega bogoslovja, kateri se posebno pečajo s krščanskim modroslovjem.

Ker je izvršitev te ustanove vsled odloka prečastitega kn. šk. lavantinskega ordinarijata od dne 22. decembra 1894 št. 1358 izročena ravnateljstvu kn.-šk. bogoslovnice, zatorej isto ravnateljstvo v spomin bisernega jubileja sv. očeta Leona XIII., kateri s prekrasno okrožnico „Aeterni Patris“ od dne 4. avg. 1879 tako resno priporočajo učenje krščanskega modroslovja, razpisuje prvokrat nagrado 48 gld. za najboljšo razpravo, oziroma najboljše razprave o tezi:

„Razum in volja v moralnih dejanjih“.

Razpravljati se morajo zlasti te-le točke:

a) Kaj je moralno dejanje? — b) Kako v moralnem dejanju razum upliva na voljo in volja na razum? — c) Tomistično načelo: Voluntas, discordans a ratione, est semper moraliter mala (S. th. I.—II., qu. 19 a. 5), pa Kantov kategorični imperativ. — d) Moralno dejanje in slobodna volja. — e) Obseg in meje te slobode. — f) Kako je v pedagogičnem oziru treba pripravljati razum in kako voljo za moralno dobra dejanja?

Gospodje bogoslovci, ki se mislijo potegovati za nagrado, naj se do dne 10. oktobra t. l. oglasijo pri ravnateljstvu kn.-šk. bogoslovja, kjer dobijo natančnejša pojasnila.

Spisi se morajo izročiti istemu ravnateljstvu najpozneje do 15. dec. 1898.

V Mariboru, na god sv. Mateja apostola, dne 21. septembra 1898.

Ravnateljstvo kn.-šk. bogoslovja.

Literatur.

Reuter Johannes, S. J. der Beichtvater in der Verwaltung seines Amtes praktisch unterrichtet. Vierte Auflage der Übersetzung aus dem Lateinischen, gänzlich umgearbeitet von Julius Müllendorf S. J., Professor der Moral und F.-B. Prosynodal-Examinator in Magensfurt. Regensburg, Nationale Verlagsanstalt, 1898, gr. 8° (XV, 498 S.) Mark 6.50.

Diese erfreuliche Publication ist der Neoconfessarius Reuter's (geb. 1680 in Schimpach im heutigen Großherzogthum Luxemburg, Moralprofessor an der Universität in Trier, gest. ebendasselbst am 21. Jänner 1762), der nun zum viertenmale in deutscher Übersetzung jedoch von Müllendorf nach der Moral-Theologie des heiligen Alphonsus Liguori und den seither erschienenen Erlässen der römischen Congregationen in gelungener Weise umgearbeitet ans Tageslicht tritt.

Der Plan des Werkes ist folgender:

In der Einleitung bietet das Buch eine gründliche und doch leicht faßliche dogmatisch-moralische Unterweisung über das Sacrament der Buße und dessen Empfang.

Erster Theil. Praktisches Verfahren des Beichtvaters im Allgemeinen: Gesinnung des Beichtvaters, Verfahren während der Beichte, bei der Gewissenserforschung und bei der Erweckung der Reue.

Zweiter Theil. Verfahren des Beichtvaters bei den häufiger vorkommenden Sünden.

Dritter Theil. Verfahren des Beichtvaters in der Behandlung der nach ihren moralischen und physischen Zuständen verschiedenen Personen.

Die gedachten Ausführungen sind in der That praktische Anweisungen eines in der Pflege der Wissenschaft ergrauten Gelehrten, der zu jeder Zeit eine besondere Vorliebe für die Seelsorge im Beichtstuhle bethätigt hat.

F. B. Lavanter Ordinariat zu Marburg,

am 1. October 1898.

† **Michael,**
Fürstbischof.

Handwritten notes:
Dr. G. O.
34



Zadušnice

povodom smrti Njenega cesarskega in kraljevega apostolskega
Veličanstva

cesarice Elizabete.

Grozno hudobno dejanje je pripravilo našega ljubljeneega cesarja, najvišjo cesarsko rodovino in celo cesarstvo v največo žalost.

Njenega cesarskega in kraljevega apostolskega Veličanstva, naše dobrotljive cesarice in ljube deželne matere Elizabete ni več med živimi. Umrła je po zlobni morilčevi roki.

Jaz kot višji pastir lavantinske školije, prečastiti stolni kapitelj, vsa častita duhovščina in vsi lavantinski škofljani izražamo tukaj javno svojo najglobokejšo žalost o prebridki zgubi, ki nas je tako nepričakovano zadela.

Zraven se pa spominjamo Njegovega cesarskega in kraljevega apostolskega Veličanstva, našega bridko skušanega deželnega očeta, in smo vsi presunjeni po sočutju z Njegovim užaljenim očetovskim srcem.

To svoje udano sočutje in sožalje smo po visokem c. kr. namestnijskem predsedništvu v Gradcu s pismom od dne 11. septembra 1898 šte. 40/prezid. sporočili najvišjemu prestolu.

Očeta usmiljenja (II. Kor. 1, 3) prosimo, naj našega premilostljivega cesarja v teh žalostnih dnevih podpira, naj Njegovo Veličanstvo v tej najbridkejši žalosti krepí in tolaži.

To težko obiskovanje in skušnjo, katero je Gospod najvišji cesarski rodovini poslal, bode vez naše ljubezni, našega spoštovanja in naše udanosti nasproti vladajoči dinastiji še le močnejše utrdila in tesneje sklenila.

Za dušni blagor umrle preblage vladarice in dobrotljive matere vseh ubožcev in zapuščenih, katere spomin ostane blagoslovljen (Sirah. 45, 1), se bodo

dne 23. septembra tega leta v vseh župnijskih cerkvah mrtvaške maše služile, h katerim se slavni uradi uljudno vabijo.)

(Ravno ta kvaterni petek se naj tudi opravlja mrtvaško zvonjenje pri vseh cerkvah med 11. in 12. uro dopoldne.)

V stolni in mestni župnijski cerkvi sv. Janeza Krstnika v Mariboru bodem sam prihodnji petek dne 16. septembra slovesno pontifikalne zadušnice z libero za dušni pokoj rajne cesarice opravil, k čemur so se slavni uradi s konzistorijalnim pismom od dne 12. septembra 1898 šte. 3369 spodobno povabili.

Omenjenega dne se naj tudi mrtvaško zvonjenje v stolni cerkvi in po vseh drugih cerkvah Mariborskih med 11. in 12. uro dopoldne vrši.)

Vsemogočni in vsedobri Bog naj plemenito vladarico v večno rajsko kraljestvo sprejme, in Njo naj poplača za vsa Njena dobra dela krščanskega usmiljenja z vencem večnega življenja.

Pri svojem opravičenem žalovanju zavoljo smrti naše bogaboječe cesarice in milosrčne deželne matere se hočemo namreč tolažiti z obljubo, ki povzdiga naš duh in in naše srce, z besedami božjega Vzveličarja: »Jaz sem vstajenje in življenje. Kdor v mene veruje, bo živel, četudi umerje. In kdorkoli živi in v mene veruje, ne bo umrl vekomaj. (Jan. 11, 25, 26). Tolažiti se hočemo z opominom sv. apostola Pavla: »Nočemo pa, bratje, da bi vi ne vedeli o spečih, da ne žalujete, kakor tisti, ki nimajo upanja. Zakaj če verujemo, da je Jezus umrl in vstal, tedaj bode Bog tudi tiste, ki so zaspali v Jezusu, ž njim vred gor pripeljal« (I. Tes. 4, 12, 13).

Oremus.

Propitiare, quaesumus, Domine, animae famulae tuae Elisabethae imperatricis, pro qua hostiam laudis immolamus, maiestatem tuam suppliciter deprecantes: ut per haec piaae placationis officia pervenire mereatur ad requiem sempiternam. Amen.

V **Mariboru**, na praznik sv. device Rozalije, dne 12. septembra 1898.

† **MIHAEL,**
knez in škof.





Trauerbegängnis

anlässlich des Hinscheidens Ihrer kais. und königl. Apostolischen
Majestät, der Kaiserin

Elisabeth.

Eine ruchlose That versetzte unseren geliebten Kaiser, das Allerhöchste Kaiserhaus und das ganze Kaiserreich in die tiefste Trauer.

Ihre kais. und königl. Apostolische Majestät, unsere herzensgütige Kaiserin und Landesmutter Elisabeth weilt nicht mehr unter Lebenden, Sie ist gefallen durch frevelhafte Mörderhand.

Ich als Diöcesanbischof, wie das Hochwürdigste Domcapitel, der gesammte Clerus und die Diöcesanen von Lavant leihen anmit dem tiefsten Schmerze Ausdruck über den höchstbetrüebenden Verlust, der uns so unerwartet getroffen hat.

Anbei denken wir Seiner kais. und königl. Apostolischen Majestät, unseres schwergeprüften Kaisers und Landesvaters, und sind von innigster Theilnahme und innigstem Mitgefühl mit seinem betrüebten Vaterherzen erfüllt.

Unsere Beileidskundgebung haben wir durch das hohe k. k. Statthaltereipräsidium in Graz mit Beileidschreiben vom 11. dieses Monates Bl. 40/Praes. an die Stufen des Allerhöchsten Thrones gelangen lassen.

Wir stehen zum Vater der Erbarmungen (II. Cor. 1, 3), dass er unserem Allergnädigsten Kaiser in diesen Tagen der Trauer und des Schmerzes beistehe, dass er Seine Majestät in diesem herbsten Leide stärke und tröste.

Diese schwere Heimsuchung und Prüfung, welche Gott der Herr über das Allerhöchste Herrscherhaus gesendet hat, wird das Band unserer Liebe, Verehrung und Anhänglichkeit zur Dynastie wo möglich noch fester, noch inniger knüpfen.

Für das Seelenheil der abgeschiedenen edlen Herrscherin und gütigen Mutter aller Armen und Verlassenen, deren Andenken gesegnet bleibt (Eccli. 45, 1), sind am

Quatember-Freitage, den 23. September d. J., in allen Pfarrkirchen Requiemessen zu celebrieren, wozu die löblichen Behörden höflichst eingeladen werden. Am selben Tage hat auch das Trauergeläute bei allen Pfarrkirchen zwischen 11 und 12 Uhr Vormittag stattzufinden.

In der Dom- und Stadtpfarrkirche zum hl. Johannes Bapt. in Marburg werde Ich am kommenden Freitage den 16. September ein feierliches Pontifical-Requiem mit Libera für die Seelenruhe der verbliebenen Kaiserin abhalten, wozu die löblichen Behörden mit Consistorial-Schreiben vom 12. September 1898 Nr. 3369 eingeladen worden sind. Am gleichen Tage hat das Trauergeläute in der Kathedrale und in den übrigen Kirchen Marburgs von 11 bis 12 Uhr Vormittag stattzufinden.

Der allmächtige und allgütige Gott möge die hochedle Herrscherin ins ewige Paradiesreich aufnehmen und für die vielen guten Werke der christlichen Barmherzigkeit mit der Krone des ewigen Lebens belohnen.

Bei unserer gerechtfertigten Trauer wegen des Hinganges unserer gottesfürchtigen Landesfürstin wollen wir uns nämlich trösten mit der unseren Geist und unser Herz aufrichtenden Verheißung unseres göttlichen Herrn und Heilandes: „Ich bin die Auferstehung und das Leben. Wer an mich glaubt, wird, wenn er auch stirbt, leben. Und Jeder, der lebt und an mich glaubt, wird in Ewigkeit nicht sterben“. (Ioan. 11, 25. 26). Ebenso mit dem Mahnworte des großen Apostelfürsten Paulus: „Wir wollen nicht, daß ihr in Unkunde seiet, Brüder, betreffs der Entschlafenen, damit ihr nicht trauert, wie die Andern, welche keine Hoffnung haben; denn wenn wir glauben, daß Jesus gestorben und auferstanden ist, so wird Gott auch diejenigen, die in Jesus entschlafen sind, mit ihm emporführen.“ (I. Thess. 4, 12. 13).

Oremus.

Propitiare, quaesumus, Domine, animae famulae tuae Elisabethae imperatricis, pro qua hostiam laudis immolamus, maiestatem tuam suppliciter deprecantes: ut per haec piaec placionis officia pervenire mereatur ad requiem sempiternam. Amen.

Marburg, am Feste der hl. Jungfrau Rosalia, den 12. September 1898.

† Michael,
Fürstbischof.

